



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia V. De Litteris Abgari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA V.

D E

## Litteris Abgari.

**N** Arrat Eusebius Pamphili *Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 13.* quod quidam Abgarus ( ab aliis vocatur Abagarus, Augarius, Acharus, vel Abgarns, quod Arabibus idem est ac Potens, gentilitio nomine ) Rex, aut Philarcha Edessenorum trans Euphratem, inter Syriam & Mesopotamiam, insanabili morbo decumbens; cum audivisset JESU Christi Salvatoris divinas virtutes, ad eundem per Ananiam litteras dederit, hujus tenoris.

*Abgarns Princeps Edessa Servatori propitio, qui in confinibus Hierusalem in carne apparuit, Salutem.*

*Insignes illas virtutes & curationes, quæ abs te, sine medicamento, & sine herbis factæ sunt, auditione percepi. Cæcos enim, ut fama est, videre efficis, claudos ambulare, & leprosos mundas, Spiritus immundos & demones ejicis. Eos etiam, qui diuturnis morbis oppressi sunt, sanas, mortuos denique ad vitam revocas. Quæ quidem, cum de te audivissem; de duobus hisce alterutrum verum esse judicabam, Te, aut Deum esse à Cæli fastigio delapsum, aut saltem Dei filium, qui*

*ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te scripsi magnopere precatus, ut laborem ad me veniendi suscipere, huncque, quo crucior morbum, curare non graveris. Etenim Judeos audio tibi obstrepere malevolè, & velle libenter te aliquo magno malo afficere. Est mihi civitas per exigua quidem. Sed ornata sanè & illustris, quæ utriusque nostrum rerum necessariorum suppeditat satis.*

Sequitur nunc Epistola responsoria JESU Christi apud eundem Eusebium, quam dicit brevem quidem: sed plenam virtutis & efficaciam, quæ per eundem tabellarium reducem fuit missa.

*Abgare beatus es, qui, cum non videris me, in me tamen credidisti. De me enim scriptis proditum est: Eos, qui me viderant, in me non credere: ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle, ut ad te veniam, eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire: quas, cum plenè perfecero, ad eum me oportet recipi, qui me misit. Quo simul, ac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mittam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuisque impertiat.*

hæ

Hæ Epistolæ, ad eruditorum exedras allatæ, variam tibeunt censuram. Authentica fide dignas judicant Card. Baronius, Gretserus, Honoratus à Sta Maria, Carmelita Excalceatus, Henricus Valesius. Item Tillemontius Scriptor quoque Gallus. *tom. 3. Hist. Eccl. p. 3.* Epistolas Abgari ad Christum, & hujus ad illum, genuinas agnoscit, ob testimonia Veterum, quibus tamen aliàs posthabitis, historias bene multas in fabularum censuram rejicit uti & Petrus Fajditijs Presbyter & Abbas Gallus in *Apologético*. Ex Protestantibus accedit Montacutius, inclinat Gravius, admittit, Cave, dubitat Casaubonus. Ab his Scriptoribus in favorem harum Epistolarum considerata proponuntur.

I. Matthæus Evangelista *cap. 4.* refert, quòd opinio de Christo Salvatore in totam Syriam abierit ejusque fama, de his, quæ ab illo fiebant, in universam illam terram divulgata fuerit. Quare eadem totius Syriæ Superioris fines utique percurrebat, atque ad Edessæ, Syriæ civitatis Principem pervenit, qui morbo oppressus, medelam ab hoc cœlesti Archiatro, litteris, per tabellarium missis, exquisivit. Hæc Eusebius *loc. cit.* suis attestatur verbis. *Admiranda Domini & Salvatoris nostri divinitas, propter incredibilem suam vim & potentiam in omnes homines crebris sermonibus pervagata, infinitos prope, cum ex longinquis Regionibus, tum ex ipsa Judea ob spem ipsorum animis de curatione membrorum & variarum cujuscunque generis perturbationum, quibus vexabantur, injectam, ad se attraxit. Atque hac de causa Abgarus Rex, qui gentibus prope Euphratem incolentibus præstantissime & summa cum laude præfuit, ubi esset gravi morbo & corpore labefactatus, celebreque nomen Jesu & divinas illius virtutes constanter ab omnibus testatas accepisset, Epistolâ ad eum per internuntium missâ &c.*

II. Hæ litteræ, ex Chartophylacio seu E-

desseno tabulario desumptæ, ex Syriaca in linguam Græcam verborenis translata, vel ab ipso Eusebio, ut quibusdam placet; vel, ut alii meliùs censent, ab aliquo Synchrono transfusæ, cum Eusebius Syriacè ignorasse videatur, ad suam tamen aetatem usque in publicis tabulis quondam repertæ, sedulo custodiæ fuerunt, ut testatum reliquit. Dum *H. E. Lib. 1. cap. 13.* scribit. *Quarum rerum insigne & locuples testimonium ex tabulario Edessa civitatis, id temporis à Rege gubernata depromptum habes. Nam & in tabulis publicis, quæ nedom veteres: sed recentiores etiam res nuper ab Angaro gestas continebant, hæc eadem ad nostram aetatem reservata reperiuntur, &c.* Immeritò proinde has Epistolas tanquam genuinas agnoscere recusant, qui etiam alia non æquæ probabilia facillè admittunt. Verum ego non adedè temerè abjiciendum esse cenleo tam venerabile antiquitatis monumentum profitetur eruditissimus Cave *Hist. Litt. pag. 2.* Illius Symmista & Conterranæus Richardus Montacutius *Orig. Ecclesias. part. post Pal. 63.* *Hanc de Epistolis fert censuram. Non est in litteris aliquid, cur rejiciantur: omnia pia modesta & cum Christiana pietate conjuncta.*

III. Gravissimi ex alta antiquitate Scriptores, honorificam harum Epistolarum faciunt mentionem, suoque calculo authenticas probant. Hos inter præcipuum locum tenet S. Ephrem. Edessæ Ecclesiæ Diaconus, cujus Scripta Hieronymus fatetur legi consuevisse post Sacram Scripturam, qui has Epistolas commendat in Testamento. S. Theodorus Studira, à Monasterio, quod per studium consulem fundatum fuerat, sic vocatus, vir æquè eruditus ac Sanctus, multisque pro fide & Ecclesiastica disciplina, certaminibus gloriosus, earundem meminit in *Epist. ad Paschalem Papam*. Nec prætercundus Darius Comes, Augustino familiaris, qui in Epistola ad eundem axarata, quæ est

263. inter Augustinianas, Edit. Lovanien-  
sis, litteras Abgari recenset. Integram Epi-  
stolam Christi ad Abgarum missam, adhuc  
temporibus Paphlagonis Imperatoris, qui  
Anno Æræ Vulgaris 1035. in Græcia regna-  
re cœpit, & in honore habitam tradit Ce-  
drenus Græcus ejusdem ævi Historiographus  
non ignobilis in *conpendio historico*, deni-  
que Hippocomorum præfectus Georgius  
Maniaces, earumque urbium, quæ Eu-  
phrati superjacent, Prætor; cum Edessam  
occupasset, repertam illic Epistolam JESU  
Christi Salvatoris nostri manuscriptam reve-  
rendissimè assumpsit, atque ad Imperato-  
rem per fidelem ministrum misit, ut præter  
Curopalatem, Cedrenum S. Joan. Damaf-  
cenum Author est Joannes Zonaras Ordinis  
S. Basilii Monachus, ac magni nominis Scri-  
ptor 3. p. *Chroni. in Romano Argyzophylo*.  
Confirmatur eadem hiltoria ex traditione,  
quam Orientales Christiani æquè ac Turcæ  
recipiunt, apud Herbelot *Bibl. Orient.*

IV. Litterarum harum authenticam opti-  
mè probat historia, quam Evagrius Schola-  
sticus, qui Historiam Ecclesiasticam Socra-  
tis & Theodori utque ad annum Christi  
597. profecutus fuit. Referturque ex Pro-  
copio *Lib. 2. cap. 27.* Christum Dominum,  
lectis Abgari litteris, eidem describendo,  
Sindoni impressam imaginem suam misisse,  
quam vultui suo, aquâ perfuso, admoverat.  
Quod idem in Epistola ad Leonem Isauricum  
scripsit Gregorius II. P. M. Anno 726. Hu-  
jus meminit S. Joannes Damascenus stre-  
nuus Sacrarum imaginum propugnator. A-  
drianus etiam Pontifex Romanus, scribens  
ad Carolum Magnum, testatur hanc histo-  
riam transmissæ Abgari imaginis, in quo-  
dam Concilio sub Srephano Papa receptam  
fuisse. Leo Lector *Act. 5ta Concilii VII.*  
œcumenici scribit de hac eadem imagine.  
*Et ego indignus famulus vester, cum descen-  
dissem cum Regis apocrisarius in Syriam; E-  
dessam petivi, & venerandam imaginem,*

*non manufactam per homines, adorari & ho-  
norari à populo vidi.* Perhibent alii optimæ  
notæ Scriptores, imaginem, ubi cubiculo  
clinici Regis fuisset illata, locum illico om-  
nem inusitata luce complevisse, mox aspe-  
ctu suo Abagarum à morbo recreasse, tactu  
verò personasse; qui Sacris undis cum omni  
aula sua ablutus imaginem conspicuo loco  
venerandam proposuere, ipse epigraphen  
litteris aureis in hunc sensum adjecerit. *Spes  
nulli unquam imponit, quam quis in te Chri-  
ste reponit.* Quin & Ecclesia Græca, con-  
formiter Menologio recepto, die 6ta Augu-  
sti Festum Translationis hujus imaginis cele-  
brare consuevit. Fuit autem ab Edessensis  
imago ista insigni profus translata pompa in  
templum S. Sophiæ Constantinopolim;  
quando ex condicito Edessa fuit obsidione  
soluta, quemadmodum ex Curopalate tra-  
dit Baronius ad annum 944. In qua transla-  
tione plura referuntur contigisse miracula.  
Inter hæc illud celebre, quod cum S. Paulus  
Anachoreta in monte lato ad populi instan-  
tiam æquale velum Sanctæ imagini applica-  
set, ex hujus contractu parilem tulerit & ad  
Imperatorem miserit. De ea imagine ora-  
tio panegyrica fuit habita à Constantino Por-  
phyrogenito, cujus, post Surium, memi-  
nerunt Baronius, Gretserus, Lippomanus,  
Leo Allarius; extatque apud Combesium.  
De eadem etiam Aringhus, quo denique  
imago illa pervenerit prodit Baronius; ni-  
mirum *post captam sæpe Constantinopolim &  
à Catholica Religione discessum Dei providen-  
tia factum est, ut eadem imago veneranda  
fuerit Romam perlata, ubi hætenus in titulo  
S. Sylvestri religiose asservatur.* Augustin.  
Justinianus Episcopus Nebienf. *Hist. Ge-  
nuen. Lib. 4.* memorat Anno 1383. à Du-  
ce Montalto Genuam fuisse allatam dono  
Imp. Constantinop.

V. Judas, qui & Thomas dicebatur, Tha-  
dæum unum ex 72. (hos itidem apud veteres  
tæpius fuisse dictos Apostolos ostendit

F

Tille-

Tillemont.) ad Abgarum misit, qui eò profectus ad Tobiam divertit, per quem ad Regem adductus, cum Jesum à Judæis occisum nuntiaret, Rex vehementer iratus in Judæos exercitum misisset, nî Rom. Imperium obtulisset. Hæc apud Eusebium. *L.c.* quibus Christi in rescripto completum fuit promissum.

Quantumcunque verò citati Authores conentur adductis motivis ceteros ea persuasione imbuere, ut pro genuinis habeantur Epistolæ quæstionis; id tamen à plerisque modernis Criticis obrinere nequeunt; multi enim eas pseudepigraphas volunt. Succenturiantur Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* licet ibidem versus Sybillinos, septem Ignatii Epistolas, Libros Dionysii Areopagitæ, Epistolam Pauli ad Senecam, ob veterum testimonia, pro veris habeat, uti etiam Elias Du Pin, aliique, qui illas tanquam spurias rejiciunt ob sequentia motiva.

I. Nulla prorsus harum fit mentio Epistolarum apud aliquem Evangelistarum, quas inter prætereunda rejectas ab iis fuisse quis crederet? præsertim quod constet rem maximi momenti fuisse prædicationem Evangelii apud gentes, quod tunc, juxta Christi præceptum, necdum fuerat per universam Judæam promulgatum. Neque dubium esse poterit, quin Lucas illud protulisset, si non in Evangelio, profectò actis Apostolorum inseruisset. Refert etenim contentionem fuisse exortam, num gentibus pariter prædicandum esset Evangelium, ad cujus rei declarationem nil clarius, aut efficacius adduci potuisset, quam res gesta inter Christum & hunc Principem Edessenum.

II. Creditu per quam difficile videtur, quod hic regulus ad simplicem miraculorum narrationem crediderit JESUM Christum Deum, tanquam Evangelii Luce illustratus & apprimè instructus, dum scripto profiteretur, se persuasum habere, aut JESUM esse Deum, aut Dei Filium; quod neque di-

scipuli neque Apostoli credebant *Joan. 7. v. 5.* fidemque prope excedit, quod regulus ad hominem sibi prorsus ignotum miserit, & ad solam formam patratorem dimidiam regni sui partem obtulerit.

III. In responsoria Chiuili Epistola textus Scripturæ allegatur, qui nullibi extabat. *De me scriptum est. Beati, qui me non viderunt & crediderunt.* Quæ mera est allusio ad verba Christi *Joannis 20.* à Christo Salvatore, postquam resurrexerat, prolata. Quæque Evangelista, nonnisi post plurimum annorum decursum, consignavit. Hoc argumento pressus Valesius, interroganti ubi aliàs scriptum sit ostendit caput sextum Isaïæ, ad quem locum Christum alludere voluisse autumat. Utique ad versum nonum, si quis alius. *Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis.* Lippit, qui non videt, quantum hic textus differat à sensu in Epistola allegato.

IV. Gelatius Pontifex Romanus in Concilio Romano Anno 494. utramque Epistolam tanquam Apocrypham & ut P. Alexander H. E. tom. 1. *Dissert. 3.* ait: falsò Jesu Christo attributam rejicit: quando responsoria saltem inter Sacras Scripturas relata fuisset, si authographam deprehendisset. Ut eo eluctetur Baronius, respondet, quod Pontifex Epistolas memoratas censuerit apocryphas, quasi non hagiographa, nequaquam verò ut eas ab Ecclesia omnino proscribat, sicut nec alios proscripsit Libros, proximè recensitos. Urgebit alius. Ecce Pontifex Epistolam, Dei digito scriptam, inter hagiographa non reposuit? An fortè, quia incertum erat à Christo scriptam.

V. Ex narratione subsequenti prudens rerum æstimator Epistolarum suppositionem facile colliget. Judas, qui cognominatur Thomas, præcis omnibus fuit prorsus incognitus. Ipse verò Thomas in Evangelio vocatur Didymus, Id est Geminus, hoc enim significat Hebraum nomen Thomas, quod

fide-

fideles mutarunt in Græcum Didymos, sicut alia Hebraica vel mutabant vel accommodabant ad Græca aut Latina, ut observat Estius in cap. 20. Joann. Abgarus nescivisset suo se pede metiri; ejusque vanâ fuisset sine viribus ira, quando Judaicam gentem numerosissimam, bellicosam, ipsisque Romanis formidabilem ob Christi necera aggredi voluisset: quod imbecilli, unius urbeculæ Principi nunquam in sanam potuisset venire mentem. Fungus (sic Plautus in *Bacchid.* vocat Stupidum) igitur fuit, qui hunc regulum loquentem introduxit, quasi Romanorum duntaxat metueret potentiam. Plura alia depromuntur mythologica, quæ Epistolas illas, omnis narrationis stabilimentum, ex Germanis antiquitatis protinus exterminandas monumentis urgent. Inter ea est illud, quod Thaddæus Abgaro, cum suis cupienti audire Evangelium, reposuerit. *Parcam concionari, quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus nuntiandum sum destinatus.* Quasi verò inconueniens fuisset, uni, paucisque Christum prædicare. Aliter sese in eo gessisse Philippum Diaconum, Paulum, Petrum Apostolos &c. Sacræ produnt litteræ. Neque parum labefactat Epistolæ autoritatem, quod scripta legatur Anno 330. Eræ Edessæ, qui incidit in Olympiad. CCII. quando certum est eo tempore Christum necdum prædicasse. Valerius quidem in *Not. Eusebianis* observat in Biblioth. regia extare M. S. Codicem, qui habet. *Acta sunt hæc anno quadragesimo & trecentesimo.* Quam lectionem Pagius *tom. 1. ad an. 41.* Cave *Hist. lit. approbant & Tillemont. not. 6. ad S. Thom.* censet esse legendum Anno 347. aut circiter: Verùm hæc variatio rem magis reddit suspectam. *Nil ita prodit falsitatem historie, quam Authorum in ea referenda dissensio, ait Alexand. tom. 1. Sac. Hist. Diss. 1. Probat. 4.*

Cæterum, quæ in harum Epistolarum gratiam à citatis referuntur Authoribus, illis,

quibus diversa, de ipsis infidet menti sententia, minimè persuadere valent, ut probabiliter authenticas censeant.

Ad Primum Respondetur. Quantumcunque Christi famam detulerit miraculorum frequentia in Syriam; non ideo exploratum habetur, omnes fines vastissimi illius regni penetrasse Christum Edessæ potuisse innotescere nemo inficias ire debet; inclauiisse ibidem, conjecturæ sunt. Et, ut verum esset, exiguum inde provenire poterit Epistolis suffragium. Responsoria Epistola Christi præsentia profectò innuit, supponitque ad curandum morbum Abgari, necessariam esse Soteris præsentiam, cum tamen solo voluntatis suæ Imperio Regulum sanare potuisset, ut sanavit servum centurionis. Alii Christi Domini opem implorantes, vel sui, vel suorum protinus obtinuerunt incolumitatem. Ipse non impetravit; quæ agendi ratio longè à Christi moribus erat aliena.

Ad Secundum Respondetur. Eusebius non semper & ubique folium Sybillæ recitat. Scriptor plerisque nominibus venerandus, in quibusdam, ævo suo etiam gestis, ita fuit hallucinatus, quasi ultro voluisset. In aliquibus non gestis, solòque rumore sparsis, fictisve credulitati suæ nimium indulgens turpiter sibi imponi permisit. Nequaquam Epistolæ eo ipso fiunt authenticæ, quod in Carthophylacia reponantur; qualdam etenim astu, simplicitate, spe lucri, aut superstitione repositas, diuque asservatas sera conqueritur posteritas, quas dum aliqui promiscuè admittunt, Pseudepigraphas, ut ante fuerant, manere, aliis in comperto est. Tales censendæ illæ, quas Eusebius refert ex Syriaca lingua in Græcam transfusas. Potuerunt enim Syri linguâ vernaculâ comminisci, ac Græci Græcâ.

Ad Tertium Respondetur. Solo errantium numero res sese descendere nequit. Multa temporibus subsequentibus, quibus

lux critica effulsit, deprehensa sunt supposititia, quæ à viris doctis piis, & in æstimatione habitis credebantur sincera. Quidam etiam magis pii, quàm circumspecti, fuerunt sollicitiores scriptionis quàm veritatis; studueruntque plura scribere, quàm veriora: atque ut libros suos condensarent, quidquid Sanctum, pium religiosum ac devotivum accommodatum apparebat, chartis illini-verunt, posthabitâ curâ discernendi falsa à veris: quæque extra ambiguum minimè collocanda censebant, tanquam certa tradebant, Suetonii Tranquilli imitatores, qui in vita Claudii Imp. candidè fatetur, se aliquid magis ne prætermitteret, referre; quàm, quia verum esset, aut verisimile putaret. Quo effecerunt, ut in relatione gestorum, salvis eorum dogmatibus, diminuta esset ipsorum auctoritas, apud posteros, qui hinc Solertius rerum indagandarum sumerent occasionem.

Ad Quartum Responderetur. Evagrius, licet aliàs pronior in fabulas, historiis admixtas, ex Procopio, quod de imagine referretur, non hausit. Contendit quidem Greiserus in *Syntag. de imaginibus*, Casaubonum ineptiarum arguens, Evagrium hæc de imagine Edeffena ex Procopio desumpsisse: Hoc tamen nullibi Evagrius proficitur; nec in editis Procopii operibus habetur, quod olim in iis lectum Greiserus persuadere nititur.

Quidquid sit de hoc, ea, quæ Procopius refert, non sunt cuncta liquentis fidei, quod spectat ad S. Joannis Damasceni testimonium, huc quadrabit, quod de eodem, in alia causa citato, scribit Baronius. *Nihil præjudicii infert veritati viri Sanctitas, aut ejus prerogativa, ut indiscussum, tanquam divinum oraculum, quidquid ab eo dictum fuerit, citra Sanctæ Ecclesiæ dogmata, ut verum accipiendum sit.* Præterius Græcorum cultus nullum rei pondus adjicit. Quod si enim non omnia illa, quæ passim in legendariis Breviariis, aliisque hujus generis char-

tis in Ecclesia Latina leguntur, non usque aded pro canonizatis habentur: ut sine hæsitacione iis fides indubitata sit adhibenda, quæ ad historiæ spectant veritatem, quid de Libris, in Ecclesia Schismatica expositis, sentiendum sit facile est assequi. Joannes Curopalates, ab officio prætorio sic dictus, aliàs Joannes Scilizæ, aliive Scriptores Græci, non sunt majoris auctoritatis, quàm ipse Joannes Damascenus, de quo supra. Historiam de imagine, ab Edeffenis obsessis tradita Byzantinis, diversis omnino referunt circumstantiis. Quemadmodum verò optimè cognoscitur veritas, docente Augustino, si Scriptores in eo concorditer conveniant, quod narrant: neque unus dissentiat ab altero: nec à plurimis plurimi: sic in magna contradictionum lerna facilimè deprehenditur falsitas. De Oratione Constantini necdum inter Authores convenit, an is fuerit Constantinus IX. Leonis Sapientis filius, cujus quidem præter alia extant compendia historiæ in Libros 53. divisa; an Constantinus X. Romani Secundi & Theophane filius, qui tamen Porphyrogenitus nunquam dictus fuit, neque Libris scribendis aptus extitit, an alicujus tertii Constantini, quem è Protestantium cætu nuperus quidam Zoilus, in sua, quam vocat, *Historia Christiana Seculo X. cap. 4.* ineprè vocitat scætum cerebri Baroniæ, potius quàm verum filium Porphyrogeniti: quasi hujus hæres & filius unus Romanus legatur, nullus Constantinus. Quod si hic Baroniæ mastix Historicæ Bibliothecæ, cujus se nominat Præfectum, adiisset, haud dubiè reperisset Constantinum Porphyrogenitum præter Romanum habuisse filios Constantinum & Stephanum, qui ultimus proprium Patrem exiit, turpiterque rasum in exilium relegavit: sed dum inter hunc & Constantinum fratrem de primatu concertaretur: Pater, validior effectus, utrumque comprehendit & extortes fecit, cui Romanus demum parricida successit in regno. Hæc extra

rhombum, quo appareat, quod Lynx in alienis, sic quandoque talpa in propriis.

Porro imaginem Edeffenam, quam Eminentiſſimus nudè & crudè refert Conſtantinopolim tranſlatam, indeque in templum S. Sylveſtri Romæ repositam; hanc apud Genuenses aſſervari, poſt alios Bzovius memorat; adèoque de eadem nil certi poterit ſtatuī. Apud Genuenses (Verba ſunt Bzovii in *Annal. ad annum Chriſti 1384. num. 12.*) *Baſilica Divo Bartholomæo dicata, hoc anno aucta eſt Sacro Sudario Redemptoris miranda imagine inſignita. Expreſſa eſt in eo hæc imago Chriſti Domini ex illius ore; cum os ſibi eo Linteo abſterſiſſet. Hanc Abagaro Regi eſſlagitanti ipſum Dominum miſiſſe, Sacra Hæſtoria tradunt. Montaldus Dux Genuenſium domi eam compreſſerat, atque in Aduum penetratibus religioſe aſſervaverat, ut hæcenus febrī peſtifera correptus, cum diem ſibi ſupremum agnoſceret adæſſe, Reipublicæ dono dedit, ut in ade Bartholomianâ reponeretur. Tolieta Lib. 9. Genuenſ. Hiſtor. Scrupulum inſicit Eusebii de hac imagine ſilentium, qui, cum plura de Epistolis, & alia huc ſpectantia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inferuerit; nequaquam putandus venit, rem tam miram, celebrem ac decantatam, aut ignoraſſe, aut ſilentio præteriſſe. Neque multum antiquitatis imago illa ſibi vindicat, cujus nulla in primorum quinque ſæculorum extat memoria. Poſteriores Scriptores, ad quos provocat Baronius, mirè variant: tum quoad ſubjectum, quo effigies concepta fertur: tum, quoad expreſſionis modum. Ab eodem citati S. Joannes Damascenus, Georgius*

*Syncellus, Theophanes, Conſtantine Porphyrogenita, Simeon Metaphraſtes Cedrenus, Curopalates, Nicephorus Xanthopulus, cum intermiſerint profiteri, undenam hæc de imagine hauſerint, neque teſtes ex antiquitatis monumentis excitent; quam erigunt fidem, non obtinent. Profectò res tota vacillare videtur; quando Edeſſeni, ex timore occupandæ urbis ſuæ imaginem hanc obſidentibus tradere promiſiſſe referuntur, cum tamen certò eſſent perſuaſi, ac experiētiâ edocti, ob reſervatam imaginem à nullo potuiſſe hoſte urbem occupari unquam. Cujus rei veritatem experiri volens Coſroes Perſarum Rex, ut Procopius Lib. 2. de Bello Perſ. Jacobus de Vitriaco Lib. 1. cap. 31. enarrant, urbem obſidione preſſit: ſed mox in fugam actus ac timore percuſſus, agnovit fruſtra, id moliri homines, quod Deus fieri nolit.*

Atque hæc omnia ritè perpenſa narrata creditu difficiliora reddunt. Quodſi nihilominus quis ſuam velit iis accommodare fidem præſtantiffimorum virorum motus teſtificatione, ne videatur cuncta aſpernari, Gregorio Nazianzeno iudice, minus peccabit. *De vita ſua.*

*Nam cuncta promptè credere eſt minus malum,  
Quam ſi quis aequè deneget cunctis fidem.  
Levitatis illud; efferi hoc eſt pectoris.*